

bens:¹⁷ *Est autem philosophicus syllogismus demonstrativus; epichirema syllogismus dialecticus; sophisma syllogismus eristicus; aporema syllogismus dialecticus contradictionis.* Quartum hoc indicium facit hosce libros non esse Aristotelicos, quia nullo alio loco omnium
 5 suorum librorum huius aporematis ulla est mentio facta: tum et illud hanc fidem adauget, quod hic distinguit tres illos: philosophum, dialecticum et eristicum, quos libro De ente primo, capite 2. videtur in idem cum Platone referre:¹⁸ *Nam circa idem genus versatur sophisticè et dialecticè cum philosophia.* Hanc autem
 10 versari circa entis veram cognitionem paulo superius dixerat:¹⁹ *Ita et enti qua ens sunt quaedam propria et haec sunt, circa quae philosophi munus est contemplari verum. Signum autem dialectici namque et sophistae eandem subeunt figuram cum philosopho, sophistica enim solum apparens sapientia est, dialectici autem disserunt de omnibus.*
 15 *Commune autem omnibus est ipsum ens.* Itaque philosophum facit subiecto ab illis duobus differre nihil. Differt tamen a dialectico modo facultatis, quia is sit *πειραστής*, tentator, a Sophista autem vitae electione, quia hic apparentem veritatem sectatur, ille veram veritatem.
 20 Plato praeter haec philosopho seu dialectico interrogationem et responsionem tribuit, per quas non solum elenchum illum saluberrimum fieri docuit, sed etiam entium omnium, tum opinionem, tum scientiam ingenerari animis docuit, multis locis sparsim, quae nos in unum, ordine quo poterimus optimo, colligemus
 25 et quas methodos nos docuit ad veri cognitionem aperiemus. Ut ex eorum collatione, quid Aristoteles receperit, quid reiecerit,

¹⁷ ἔστι δὲ φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς, ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικὸς, σόφισμα δὲ συλλογισμὸς ἐριστικὸς, ἀπόρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἀντιφάσεως. [ARIST. Top. 162a.15 – 18]

¹⁸ περὶ μὲν γὰρ τὸ αὐτὸ γένος στρέφεται ἡ σοφιστικὴ καὶ ἡ διαλεκτικὴ τῆ φιλοσοφία. [ARIST. Metaph. 1004b.22 – 23]

¹⁹ οὕτω καὶ τῶ ὄντι ἢ ὄν ἔστι τινὰ ἴδια, καὶ ταῦτα ἐστὶ περὶ ὧν τοῦ φιλοσόφου ἐπισκέψασθαι τὸ ἀληθές. σημεῖον δέ. οἱ γὰρ διαλεκτικοὶ καὶ σοφισταὶ τὸ αὐτὸ μὲν ὑποδύονται σχῆμα τῶ φιλοσόφῳ. ἡ γὰρ σοφιστικὴ φαινομένη μόνον σοφία ἐστὶ, {καὶ} οἱ <δὲ> διαλεκτικοὶ διαλέγονται περὶ ἀπάντων, κοινὸν δὲ πᾶσι τὸ ὄν ἐστίν. [ARIST. Metaph. 1004b.15 – 20]